



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VII. Otto Legatus in Angliam missus à Gregorio IX. magnificè acceptus & multis muneribus donatus. Neque fanis pepercit neque profanis. Sed præda suæ spoliatus, factus est præda de prædatore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

no scribens ad Gualonem, eum jubet injunctum sibi legationis officium laudabiliter, ut cœperat, prosequi. Vnde colligi posse videtur neque Romam revocatum fuisse Gualonem, neque castigatum fuisse ob malè gestam legationem, cum testetur Honorius illum laudabiliter in hoc munere se gessisse.

VI. Sub eodem Honorio, anno millesimo ducentesimo vigesimo primo, Egidius Cardinalis in Scotiam legatus ut in subsidium novæ expeditionis in terram sanctam pecuniam aliquam conquireret, accepta haud parva & à laïcis & à clero, cum eam in itinere in summa ambitione ac luxu profudisset ac dilapidasset, spoliatum se à latronibus confixit, & ita crumena inani Romanam rediit. Paucis igitur diebus postquam ille reversus erat, eadem de causâ missus est alius in Scotiam Legatus. Sed ista Legatorum frequentia commotus Scotorum Rex Alexander, habito suorum concilio, admittendum illum non esse censuit. In eo verò Concilio Episcopus quidam supra modum avaritiæ Legatorum Romanorum infensus, liberrimè multa adversus eos proloquutus est, quorum summa hæc erat. Intolerandam esse omnem tyrannidem, sed in primis servorum aut infimæ sortis hominum. Si mala quibus Scotorum regnum affectum erat superioribus annis, à Summo Pontifice illata fuissent, ea utcumque ferenda videri. Verùm ut homines infimi & ad aliquam fortunam per flagitia provecti per tantam injuriam in Scotos sæviant, insuper etiam ea quæ sanctissima hæcenus à patribus Scoti acceperant, avarissimè quæstui habeant, ea non indignè patiendâ; præsertim cum nec finem ullum faciant, & Scotorum simplicitatem ac modestiam superbissimè contemptui habeant. Revocavit deinde in memoriam conventus quæ perperam & inhumaniter gesta erant à Gualone & ab Egidio, huc demum flectens ut censeret neque tertium istum Legatum neque ullum alium deinceps admittendum in regnum, ut tot malis iretur obviam.

VII. Gregorius deinde nonus anno MCCXXXVI. Legatum in Angliam misit Ottonem Diaconum Cardinalem Tiruli sancti Nicolai in carcere Tulliano. Commovit ea legatio universum regnum, ut Matthæus Parisius docet. *Venit igitur in magno apparatu Legatus prænominatus & potentia magna. Et occurrerunt ei Episcopi & Clerici famosi usque ad littus; & aliqui in naviculis navigando obviarunt ei, applaudentes, & munera impreciabilia offerentes. imò etiam Parisiis in obviam ei obtulerunt telas escaletii & vasa pretiosa nunciij diversorum Episcoporum.* Damnat istum mo-

rem Parisius, describitque deinde qua pompa susceptus Legatus sit. Mansit autem in Anglia per triennium, neque fanis parcens neque profanis ut se suosque ditaret. Deplorat hanc patriæ suæ infelicitatem idem Parisius his verbis: *In crastino Epiphania apud Doveram Legatus navem ascendens, post regales amplexus & oscula, legationis deposuit insignia, & transfretans apporriatam Angliam à tergo salutavit, nullo præter Regem & quos idem Legatus bonis regni saginaverat de recessu suo condolente. Nec remansit eadem hora, ut veraciter dicebatur, in Angliam tantum pecunia, exceptis sanctorum vasis & ornamentis Ecclesiarum, quantum à regno jam extorserat Anglicano. Præbendas autem, Ecclesias, & varios redditus opimos plusquam trecentos ad suam vel Papæ contulerat voluntatem. unde regnum, quasi vinca exposita omni transeunti quam exterminavit aper de sylva, miserabiliter languit desolatum.* Et paulò post: *Ut manifesto argumento monstraretur quòd non missus erat ad oves quæ perierant protegendas, sed ad pecuniam quam invenerat vindemiandam. Idcirco meritis multipliciter exigentibus Domino flagellante per Imperatorem præparantem muscipulas illa præda meruit spoliari, factus præda de prædatore.*

VIII. Ea fuit Legatorum quorundam fortuna, ut cum magnam auri vim collegissent per tempora suæ legationis, ea deinde spoliarentur finita legatione. Extant quamplurima talium rerum exempla. Adferam autem unicum, & quidem posteriorum temporum; quia ex actis quæ nunc quoque supersunt colligitur apertius quàm ex ceteris quantæ essent Legatorum opes, quanta pompa. Anno MCCCLIX. cum Talayrandus Episcopus Albanensis Avenionem rediret functus legatione apostolica ad Reges Francorum & Anglorum, perque dicecesim Lingonensem transfret, fuere qui animo destinarent eundem Legatum spoliare opibus suis, quos ob hoc ipsum Legatus epistola generali ad Episcopos Gallicanos missa excommunicari solenniter jussit. Sanè Legatus captus non est, quia se continuit intra villam de Castellione. Famuli verò ejus capti sunt cum thesauro, & adducti ad castrum de Giam. Res verò captas eas fuisse docet Talayrandus in epistola quam, uti diximus, adversus prædones scripsit ad Episcopos Gallicanos, vasa nimirum argentea, cruces aureas, lapides pretiosos, vestes, & res alias, quas non nominat. Scio reponi posse ista raptò parta non fuisse, hunc quippe Cardinalem ortum ex nobilissima familia Comitum Pe-tragoricensium, præterea divitiis abundasse, ut constat ex ejus testamento nuper edito. Sint ista vera. Ex hoc tamen factò colligitur

Vide Guillelmum Ockwrig. lib. 2. cap. 9. & Baro. ad an. 1183. §. 10.

Apud Severinum in Episc. Marisc. con. cap. 53. §. 7.